

In Libb. de Vtilit. ex adu. cap.

3

tionem nostram eò dirigendam esse, vt post mortem beata illa vita æternaque fruatur: neque solum vt bonis illis tam immensis potiamur, sed etiam vt pœnas tam graues cuitemus. Verùm si pœnas non sumus subituri, sed solum futuri participes præmiorum, poterimus tunc vtrique vitæ consulere: tum futuræ, virtute ac integritate, probitatéque morum: tum præsenti, curando illius commoda, valetudinem scilicet, opes, filios, amicitias, famam, cæteraque id genus bonorum, quæ cum honestate coniuncta sunt. At tertium dubium non circa rerum naturam versatur, sed in ipsius finis ratione tantum: atque id est, An, (si incertum sit de his, quæ ad animarum pertinent immortalitatem, suppliciaque ac præmia: imò nihil quasi comperti sit velut Epicurei existimant,) expedit sequi maiorem exspectationem, licet valde dubiam ac penè desperatam, quām præsentibus inhærere? Nam quæ Aristoteles & Stoici prodiderunt de honesto atq; virtute, quin & præclaræ illæ de Moribus, ac de Iustitia præcipue, disputationes, si spes meritorum ab obitu auferatur, tam sunt frigidæ, inanes, & ridiculæ, vt nihil magis. Quòd si, præter has dubitationes, illud etiam scire liceret, de quo actum est in libris de Arcanis Æternitatis, An mundus scilicet & hominum generatio finem aliquando habitura sint, an non? tunc expeditè de bonorum fine determinare possemus. Filiorum enim & stirpis felicitas ad bona communia, tunc, non propria pertinebit, cum inter mortalia bona numeranda sit: alioquin aut prima futura ac principalis, longeque Sapientia maior atque Virtute. Ideoque & Socrates & quicumque alij de Moribus tractarunt, absque naturalium rerum determinatione, operam, vt dici solet, & oleum perdidérunt. Absurdius tamen Aristoteles & Stoici egerunt, qui, vt dixi, sublata spe præmiorum & pœnarum ab obitu, conati sunt, Virtutem esse bonam, hominibus persuadere. Et essent quidem virtutes hac ratione bonæ, sed non omnes. Sola enim prudentia, constantia, continentia, fortitudine, atque tranquillitate animum munitissime per illam sufficeret. Constantia quidem aduersus calamitates, quæ iam nos opprimunt. Idque ob duas rationes. Prima, quòd æqua omnium mortalium futura sit conditio: imò melior infelicium: quum moriendo nihil amittant. Atque hæc ratio omni mœrori satisfacit, tametsi apud quosdam non admodum firma esse videatur. Altera prorsus firma est, etsi non tam ampla, tanta tamen, vt luctum quemlibet funditus euellere possit, & acerbissimos dolores tollere. Desumpta est autem ea è Plotino: Omnes, videlicet, iniurias, omnes luctus iustè nobis aduenire & inferri: licet qui inferunt, iniustè nobis illas inferant. Itaque si iustè nos subimus, etiam leniter ferendæ sunt. Quòd verò illas iustè subeamus, haud dubium esse debet, cum sint præuisæ: & si præuisæ, ordinatæ, atque ideò à Deo constitutæ. Quæcunque autem à Deo constituta sunt, iusta omnino sunt. Neque enim vel sapientia vel potestas illi defuit, aut inuidia vel ira moueri potuit, quin omnia iustè & etiam pro temporum ratione distribueret. Neque ergo dubitandum est de tota ista oratione, nisi fortasse ab eius initio quod est dictum: Omnia, quæ contingunt, præuisa esse. At hoc ostendunt tot Pythij Apollinis oracula de Græciæ calamitatibus, de morte Philippi Regis Macedonum, tot ostenta de Cæsarum obitu. Sed omittamus antiqua, & innitamus præsentibus solum, ac visis à me in nece filij: quam constat quatuor euidentibus prodigiis ita præuisam, vt genus & dies latere non posset. Neque verò existimandum est, filium meum aut me tanti fuisse, vt, nostra causa, noua lex scientiæ futuri sit constituta: quin potius omnia æquè certa esse apud Deum, etsi tamen prodigiis non ostendunt. Nam vt luporum cædes iustæ sunt ob scelera, sic agnorum ob sacrificium. Sic ille obtulit Filium suum, sed præsciens mortuus est. Et quām parum abfuit ne vnicum filium ab Abrahamo, vt immolaretur, reposceret? Quid ergo opus est vt metuas, ne casu in calamitatem incideris? iniuriam acceperis? iniustè damnatus sis? Quòd si ita est, hac vna ratione confirmaberis, modò æqui patiens & amans fueris, vt animi intentionem haud remittas, aut in posterum doleas atque euertaris. Simili ratione feres fortiter incumbentia mala, non quia non terreant, (vt stulti quidam persuadere conantur;) sed tanquam necessaria. Et ne illo assiduo metu euertaris, & vniuersæ vite acta perturbes tristi cogitatione, nec ullam dulcedinem percipias, continebis etiam te ab ira, cupiditate atque libidine. His etenim malis si succubueris, non euades è maximis infortiis, vixque etiam à periculis ingentibus, etiam si Rex fueris. Præstat ergo nihil amare immodicè: quandoquidem huiusmodi amores aut magnos luctus,